



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

8 Ecclesiae Romanae plura, & diversa bona fuerunt donata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

Bardoris, deinde in Berceto, exinde in Parma, deinde in Regio, exinde in Mantua, atque in Monte silicis, atque in provincia Venetiarum, & Istria, nec non & cunctum Ducatum Spoletanum, & Beneventanum, unà cum ecclesia Divæ Christinæ posita propè Paduam juxta Padum quarto milliario.

Item in partibus Campaniæ Soram, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, & Capuam, nec non patrimonia ad potestatem, & ditionem ipsius Joannis Papæ pertinentia, sicut est patrimonium Beneventanum, & patrimonium Neapolitanum, & patrimonium Calabriae superioris, & inferioris. De Civitate autem Neapolitana cum castellis, & territoriis, & finibus, & insulis suis sibi pertinentibus, sicut ad easdem respicere videntur. Nec non patrimonium Siciliae, si Deus illud eidem Imperatori traderet manibus. Simili modo Civitatem Cajetæ, & fundum cum omnibus earum pertinentiis.

Præterea idem † Imperator obtulit beato Petro, eidemque Joanni Papæ, & successoribus suis pro remedio animæ suæ, suiq; filii, & suorum parentum de proprio ipsius Regno, civitates, & oppida cum piscariis suis, hoc est Reatem, Amitemum, Furconem, Nursiam, Baluam, & Marsum, & alibi civitatem Interamnã cum pertinentiis suis. Quas omnes supra dictas Provincias, urbes, civitates, oppida, & castella, viculos, & territoria, simulque & patrimonia pro remedio animæ suæ, filii sui, ac parentum, & successorum suorum, & pro cuncto à Deo conservato, atque conservando Francorum populo, eidem Joanni Papæ XII. ejusque successoribus usque ad finem sæculi eo

modo confirmavit, ut in suo detineat jure, principatu, atque ditione, aliasque donationes confirmavit, ac privilegia, gratiaque concessit, de quibus in litteris anno Incarnationis Dominicæ 962, die 13, mensis Februarii expeditis, & per eundem Othonē, & quamplures Episcopos, Abbates, & Comites subscriptis, de quibus per Baron. *Annal.* 962, §. *In nomine Domini, & seqq.* tomo 20.

Diversa enim bona † Ecclesiæ Romanæ donata in dictis litteris comprehenduntur.

Primò enim Civitas Romana cum Ducatu suo, & aliis, de quibus supra in §. Otho enim, usque nec non, & in §. item in partibus, versic. nec non patrimonia, usque ad §. præterea. Dicta enim bona fuerunt sub ditione Papæ, & successorum confirmata, uti patrimonium antiquum Ecclesiæ Romanæ, de quo cum non constet ab aliis, quàm à Constantino fuisse donata ex supra allegatis, calumniosè negatur ipsa donatio, quam Deus, ac mundus approbavit, & quam notorium est factã fuisse, ac valuisse, quod omnes DD. Cæsarei, Pontificiiq; juris asserunt, testantur *Corn. cons. 1, num. 9, vol. 3.* *Goza d. consil. 1, num. 33.* & *Bursi.* qui illam comprobata auctoritate quamplurium Sanctorum, atque Pontificum sanctorum, atque Theologorum, Imperatorum, Historiographorum, atque utriusque Juris Doct. in eo *cons. 124. à num. 38. usque ad finem.*

Secundò donata † per Pipinum, & Carolum Imperatores, de quibus in eodem §. Otho enim, vers. nec non Exarchatum, usque ad dictum vers. Nec non patrimonium. Quæ omnia sic donata, cum aliis etiam donationibus fuerunt ab eodem